

ARTICULUS II.

Utrum iudices sæculares proferentes sententiam sanguinis morte subsequuta maneant irregulares?

I. Pro parte negativa arguitur: Quia ut sæpe ostendimus maxime disputatione prima hujus tractatus, art. iv, irregularitas non est admitenda nisi sit expressa in jure; sed nullibi habetur in jure expressa irregularitas pro iudicibus sæcularibus proferentibus sententiam sanguinis; ergo.

II. Confirmatur, nam si iudices incurrunt irregularitatem in isto casu, a fortiori etiam ipsi principes, quorum potestate, et auctoritate talis sententia profertur a iudicibus, si quidem iudices sunt ministri ipsorum principum, et instrumenta quædam moralia, quocirca principes principaliter sunt causa mortis subsequutæ: sed indubitatum est inter doctores, hujusmodi principes non incurrere irregularitatem, ergo neque iudices.

III. Dico tamen primo: Iudices sæculares proferentes sententiam sanguinis, quantumcumque justam morte subsequuta, manent irregulares. Dixi quantumcumque justam, quia si injustam proferant, manent utique irregulares alia irregularitate procedente ex homicidio injusto. Ista conclusio est communis omnium doctorum sine controversia. Sed tamen mirum est, quam levibus videatur inniti fundamentis hæc sententia in jure, plura namque inducuntur a doctoribus capita, tam ex decreto, quam extra, ad comprobendam hanc irregularitatem, cum tamen ibidem nullibi videatur hæc irregularitas expresse contineri; unde Suarez disput. XLVII, sect. 1, postquam multa refert capita adducta

ab aliis, illa tamen refutat, quia in nullo illorum fit sermo de iudice sæculari, sed solum de clericis. Et insuper præfatus auctor plura alia capita refert, in quibus tamen non magis quam in aliis ab ipso confutatis, videtur hæc irregularitas contineri, quia in omnibus capitibus quæ affert pro se Suarez solum videtur fieri sermo de episcopis, et aliis clericis se intromittentibus in causam sanguinis. Quocirca tota difficultas hujus articuli in eo consistit, ut adducamus legitimum caput juris, quo hæc irregularitas expresse contineatur.

IV. Dico igitur secundo: Manifestum est hanc irregularitatem contineri expresse in jure. Probatum primo ex capite Aliquantos, distinct. LI, in decreto, in quo capite videtur magis expresse hæc irregularitas contineri; unde ex isto capite probant istam conclusionem Stephanus de Avila et alii quos refert ipse, et sequitur tractatu de censuris, part. VII, disput. v, sect. II. In illo namque capite decernitur, quod duplex genus hominum ad ordines non assumatur; primum est illorum, qui in forensi exercitatione versati sunt: secundum est illorum, qui militiæ dediti sunt. Manifestum est autem quod illorum, qui in forensi exercitatione versantur potissimum locum obtinent iudices sæculares; ergo manifestum est hanc irregularitatem contineri in illo capite.

V. Sed dices, quod hæc irregularitas non imponitur intuitu sententiæ sanguinis, sed alia ratione, sub qua comprehenduntur omnes, qui forensi exercitatione versati sunt. Respondetur tamen, quod in illo capite explicatur etiam causa, propter quam hæc irregularitas imponitur, tam forensibus, quam militibus, quia videlicet obediendo potestatibus sæva præcepta impleverunt. Per quæ verba manifeste da-

tur intelligi, quod talis irregularitas non imponitur universaliter omnibus forensibus, neque omnibus militibus, sed illis solum, qui sæva præcepta impleverunt. Per sæva autem præcepta non sunt intelligenda iniqua, et quæ sine præcepto impleri non possunt, sed intelliguntur ea, quæ ad sanguinis effusionem ordinata sunt. Quæ præcepta ideo sæva dicuntur, quia quamdam crudelitatem, et sævitiam secum ferunt, quantumcumque sint justa, in ordine ad maximam lenitatem Christi, quam ejus ministri repræsentare debent.

VI. Sed objicies: Nam in illo capite non imponitur irregularitas, si quidem ibi solum dicitur, quod si aliqui eorum ordinati fuerint, cum suis ordinatoribus deponantur; ubi non imponitur irregularitas, sed depositionis censura in pœnam peccati illis, qui tales ordines suscipiunt. Et insuper talis depositionis censura non imponitur ipso facto in illo capite, sed decernitur imponenda, quod est contra rationem irregularitatis, utpote quæ incurritur ipso facto. Respondetur tamen, quod ex verbis antecedentibus satis intelligitur, quod imponitur irregularitas in illo capite. Nam ibidem dicitur, quod: « Plures illorum ad sacros ordines assumpti sunt, qui tamen assumi non poterant. » Quibus verbis supponitur jam inducta irregularitas. Et præterea ut colligitur ex eodem capite, illorum qui ad ordines assumpti erant, qui tamen assumi non poterant, videtur fieri dispensatio super irregularitate, cujus ratio ibidem assignatur, videlicet, quia alias magna scandala orirentur in provinciis hispaniensibus, in quibus morabantur plures illorum, qui ordinati erant.

VII. Confirmatur, quia præfata irregularitas colligi potest ex omnibus capitibus quæ habentur in titulo

de homicidio voluntario, nam in illis imponitur irregularitas omnibus quomodocumque voluntarie occidentibus, nisi in propriam defensionem juxta dicta articulis præcedentibus. Quæ quidem irregularitas non imponitur propter culpam, quæ in ipso homicidio reperitur, nec in pœnam illius tamquam censura, sed ex eo quod homicidium illud sit aliquo modo voluntarium. Et constat hoc ex eo, quia homicidium casuale potest esse voluntarium, ita ut tale voluntarium sit imperfectum, et solum sufficiens ad veniale peccatum; et tamen propter illud homicidium incurritur irregularitas (ut dicemus disputatione sequenti) ergo talis irregularitas non imponitur ut censura, sed propter significationem defectus levitatis: ergo imponitur contra iudices sæculares propter sententiam sanguinis morte subsequuta. Ultimo probatur, quia colligitur hæc irregularitas ex communi consensu, et interpretatione omnium doctorum sic intelligentium, et explicantium jura, quæ intelligentia est anima legis et juris; ergo in ipso jure continetur formaliter hæc irregularitas, si quidem sensus legitimus juris est universalissima interpretatio omnium doctorum.

VIII. Dico tertio: Clerici officium iudicis agentes et sententiam sanguinis proferentes morte subsequuta non solum incurrunt irregularitatem, quæ est canonicum impedimentum, quam incurrunt laici, sed etiam irregularitatem, quæ est censura ecclesiastica. Istam conclusionem posuimus supra disputatione prima, art. II, sed nunc necessaria est ad complementum doctrinæ. Et probatur manifeste ex pluribus capitibus juris adductis a Suarez disput. XLVII, sect. I, in principio, et insuper potissime ex capite Sæpe, et ex capite His a quibus XXIII, quæstione

viii, ubi expresse imponitur irregularitas tamquam pœna in transgressionem præcepti ecclesiastici, quo prohibentur clerici, ne causam sanguinis agant, de quo late dicitur 2-2, quæst. LXIV, art. IV.

IX. Dico quârto: Tam personæ ecclesiasticæ, quam facultates, quæ jurisdictionem temporalem, et dominium terrarum habent, possunt illam jurisdictionem delegare, et committere quibuscumque aliis, absque periculo irregularitatis, etiamsi iudex delegatus ex vi potestatis, et jurisdictionis sibi commissæ malefactores occidat. Ista conclusio est communis sententiæ auctorum, quos refert, et sequitur Stephanus de Avila part. VII, disputat. V, sect. II, dub. IV, et Suarez disput. XLVII, sect. I, num. V. Probat, tum ex jure, nam ita decernitur in capite Episcopus in sexto. Et quamvis ibi solum fiat sermo de ecclesiasticis personis, videlicet episcopis, abbatibus, et clericis, et aliis hujusmodi, nihilominus tamen in illa determinatione, seu concessione comprehenduntur etiam laici temporalem jurisdictionem habentes tamquam domini, eo quod si ecclesiastici, in quibus est specialis prohibitio ne se intromittant in causam sanguinis, et quibus imposita est specialis irregularitas, nihilominus possunt sine irregularitatis periculo temporalem jurisdictionem, cujus sunt domini, aliis committere; a fortiori sæculares potestates, et domini poterunt id facere sine periculo irregularitatis, utpote quibus non ita strictè incumbit imitari lenitatem, vel mansuetudinem Christi.

X. Deinde probatur ratione, quia delegantes sic suam jurisdictionem, etiamsi postea iudices delegati occidant malefactores, non tamen sunt proxima, et specialis causa mortis subsecutæ ipsi delegantes, sed tantum ut plurimum sunt cau-

sa remota, et universalis, in quo profecto nihil indecentiæ reperitur in ordine ad lenitatem Christi præsentandam, eo quod talis delegatio jurisdictionis ordinatur immediate ad bonum commune; et ut justitia, et pax reipublicæ conservetur, non autem ordinatur ad particularem effectum mortis subsecutæ, et idcirco merito ex hoc non debent incurrere irregularitatem; de quo dicitur late loco citato.

XI. Difficultas tamen est, an iudices delegati, et constituti ad hujusmodi jurisdictionem temporalem exercendam, possint etiam absque periculo irregularitatis, illam etiam aliis committere, ita ut si subdelegatus malefactorem occidat, iudex delegatus maneat immunis ab irregularitate. Et videtur, quod non maneat immunis ab irregularitate, quia in illo capite Episcopus citato solum conceditur facultas ipsis dominis jurisdictionem temporalem habentibus, ut possint sine periculo irregularitatis illam aliis delegare; ergo alii inferiores iudices delegati ab ipsis dominis non poterunt aliis jurisdictionem committere absque periculo irregularitatis. Confirmatur, nam iudices delegati in isto casu jam se habent quasi causa proxima, et particularis cujuscumque mortis subsecutæ, et inflictæ a suis subdelegatis: ergo non excusantur ab irregularitate.

XII. Dico tamen quinto, tales iudices delegatos posse absque periculo irregularitatis talem jurisdictionem aliis subdelegatis committere. Probat, quia talis commissio jurisdictionis, etiam se habet ut generalis, et remota causa mortis, nam qualiter ipsis delegatis commissæ est jurisdictio, sic illam committunt aliis subdelegatis. Deinde probatur, quia lex illa est favorabilis; ergo extendenda est ad omnes illos, in quibus reperitur pror-

sus eadem ratio. Quare etiamsi aliquo modo influeret in occisionem subsecutam is, qui committit jurisdictionem, nihilominus maneret immunis ab irregularitate, quia lex illa est exceptiva illorum, qui committunt jurisdictionem, et solum comprehensiva aliorum, qui exercent immediate talem jurisdictionem in causa sanguinis. Et per hoc patet ad rationem dubitandi positam pro ista difficultate.

XIII. Secunda difficultas est, an possit committi potestas, et jurisdictio non solum in universali, et in communi, sed circa particulare factum, quod secundum leges pœna mortis plectendum est; et an illa subsecuta maneat irregularis, qui sic commisit jurisdictionem. Videtur quod sic, quia commissio jurisdictionis circa particulare factum immediate ordinatur ad effectum subsecutum, ad hoc enim tamquam ad finem proximum committitur jurisdictio; ergo talis commissio habet rationem causæ proximæ; et particularis in ordine ad occisionem subsecutam.

XIV. Pro hujus resolutione notandum est, quod dupliciter potest fieri commissio jurisdictionis circa particulare factum. Uno modo determinate ad hoc, ut delinquens puniatur pœna mortis taxata per legem: alio modo circa delictum ipsum potest committi jurisdictio, sicut quod inquisitio fiat de illo delicto, et etiam de delinquente, et servetur justitia in ordine ad bonum commune.

XV. Dico igitur sexto: Si primo modo committatur jurisdictio, tunc committens illam incurrit irregularitatem, non tamen incurrit illam si secundo modo committat jurisdictionem. Prima pars hujus conclusionis probatur manifeste ratione dubitandi proposita in ista difficultate, et nihil amplius convincit. Se-

cunda autem pars probatur, quia in præfato capite Episcopus expresse dicitur, quod circa particulare factum, videlicet homicidii, aut alterius maleficii perpetrati a delinquente, possit fieri commissio jurisdictionis ab ecclesiasticis personis, qui sunt domini jurisdictionum temporalium, ut videlicet circa illud particulare factum fiat debita secundum juris ordinem inquisitio, et servetur justitia.

XVI. Ex dictis sequitur a fortiori, quod multo melius et tutius sine periculo irregularitatis poterit committi jurisdictio in communi, si quidem circa particulare factum, quod pœna mortis plectendum est, potest committi secundum jurisdictionem. Deinde sequitur, quod longius absit ab irregularitate incurrenda conditor alicujus legis, qua decernit, quod aliquod particulare flagitium sit pœna mortis plectendum, eo quod universalior causa sit conditor legis, quam committens jurisdictionem. Et tandem sequitur solutio ad rationem in oppositum, quia quamvis committatur jurisdictio circa particulare factum, non tamen committitur determinate ad effusionem sanguinis, sed committitur secundum rationem, et modum generalem, ut videlicet servetur justitia.

XVII. Tertia difficultas est, an si iudex delegatus non servato ordine juris, sed injuste omnino et inique aliquem occideret, utrum tunc dominus jurisdictionis illi commissæ sit immunis ab irregularitate. Et videtur quod non, quia in præfato capite Episcopus, ubi decernitur, quod possint domini ecclesiastici jurisdictionem committere temporalem, apponitur quædam determinatio, videlicet quod iudices delegati si ad causam sanguinis procedant, id faciant mediante justitia; ex quo videtur colligi, quod si hoc modo